Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1771
Quelle:
Copyright:

Tworce myly z ziel ſie tobie
Tak brozneho zawedeńie
Genz ſie diege wteto dobie
Pro křeſtanſke probrzieſeńie &c.

Id eſt: *Creator miſericors! poeniteat te tam horrendae ſeductionis, quae ſit praeſenti tempore propter Chriſtianorum peccata* &c. Scriptam liquet ex decurſu poſt *Huſſi*, *Hieronymi*que ſupplicium.

XXXIV. *fol.* 239. p. 2. Opuſculum de Arte loquendi, quod incipit: *Quoniam in dicendo multi errant, nec eſt aliquis, qui linguam ſuam ad plenum valeat domare* &c. Praecepta porro, quae dat Noſter, illi verſui adcommodat: *Quis, quid, ubi* &c.

XXXV. *fol.* 251. Verſio bohemica *Pſalmi* C. et CXLII. ſcripta a. 1552. et pertinens ad N. 25.

XXXVI. *fol.* 252. *Canones*, qui *Apoſtolorum* dicuntur. Thecae anteriori operoſi *Codicis* adſcriptum eſt: *Ex dono Georgij Polenta.*

CCCCL.

138 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 269. f. per duas columnas ſcriptus et rubricis diſtinctus continet ſequentia. I. Opuſculum Polemicum hoc rubro: *Queſtio Magiſtralis de hereſibus et hereticis ac de veritatibus katholicis, edita per venerabilem Magiſtrum Nicolaum de Dinkhlſpuchl Sacre Theologie profeſſorem.* Incipit: *Circa illum textum prope finem ſeptimi capituli ewangelij Mathei ſcilicet Attendite a falſis prophetis* &c. Statuitur, quaenam ſit veritas catholica, quae haereſis, quis haereticus, et rubro ſubſcribitur: *Hec queſtio lecta eſt per predictum doctorem In Scolis dominorum Theologorum Vniuerſitatis ſtudij Wienn. Anno domini* 1425. Tractatus hujus noſtri meminere *Geſnerus* in *Bibl.* et *Fabricius.* Autor ab oppido *Sueviae* natali cognominatus jam 1405. Canonicus Vienn. et Univerſitatis Rector variis pro ea legationibus obitis et ornata paene per 40. annos Profeſſoris ſparta obiit 1433. Ejus Scripta praeter paullo ante memoratos referuntur in P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 92. et in *Bibl. Auguſtin. Append.* p. 986. a *Fel. Oſſingero*, qui Vir veri ſtudens *Nicolaum* a quibusdam perperam, ut *Henricum de Haſſia*, Auguſtinenſibus adſertum Clero ſeculari ultro remittit.

II. *fol.* 16. *Sequitur determinatio cuiusdam dubii facta ſuper quibusdam propoſitionibus circa ſacramentum eukariſtie per facultatem Theologicam ſtudij Wienn.* Propoſitae fuere, ut ex ingreſſu patet, hae Theſes anno 1385. *Viennae in Conventu Ord. Praed. 12. ſeptembr.* a M. *Johanne Munczinger*, et dein ad facultatis examen delatae. Sunt autem IV. ſequentes: *Corpus Chriſti non eſt Deus.*